Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Et io dicit. **Et vidimus gloriam eius.** Gloriam eius nemo possit videre: nisi humilitate carnis sanetur. Irruerat enim homini quasi pulvis in oculum. de terra oculus iste sauciatus erat: in terra illuc mittitur ut sanetur. Caro te obcecaverat: caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo carnalibus affectibus. Inde fuerat oculus cordis cecatus. Medicus fecit tibi collirium. quia sic venit: ut de carne vitia carnis extingueret. Verbum enim caro factum est: ut possis dicere. **Vidimus gloriam eius.** Crisostomus. Subdit autem. **quasi unigeniti a patre.** quia multi prophete glorificati sunt. puta moyses. helyas. helyseus. et alii multi quorumque miracula ostenderunt. Sed et angeli hominibus apparentes. et eam que est proprie nature coruscantem lucem manifestantes. Sed et cherubyn et seraphyn cum multa visa sunt gloria a prophetis. Ab omnibus hiis nos abducens evangelista. et super omnem naturam et conservorum nostrorum claritatem. erigens mentem: ad ipsum nos perduxit verticem. Quasi dicat. Non ut prophete aut alicuius hominis. vel angeli. aut archangeli aut aliarum superiorum virtutum est gloria quam vidimus: sed quasi ipsius dominatoris. ipsius regis. ipsius naturalis filii unigeniti. Greg. In sacro enim eloquio. sic et quasi. aliquando non pro similitudine ponitur. sed pro veritate. unde est illud. **quasi unigeniti a patre.** Crisostomus. Ac si diceret. **Vidimus gloriam** qualem decebat. et convenientem habere unigenitum et naturalem filium. Consuetudo enim multorum regem valde ornatum videntium cum aliis enarrantes non possunt universam representare claritatem: sed inducunt. Quid oportet multa dicere? quasi rex erat. Sic et iohannes dicit. **Vidimus gloriam eius. gloriam quasi unigeniti a patre.** Angeli enim apparentes: ut servi et domino subditi omnia agebant. Iste vero ut dominus cum humili forma apparens. Sed et creature dominum cognoverunt. stella magos vocans. angeli pastores. puer exultans in utero. sed et pater testatus est de celo. et paraclitus super ipsum adveniens. Sed et ipsa rerum natura omni tuba clarius clamavit quia rex celorum advenerat. Etenim demones fugabantur infirmitates corporis solvebantur. mortuos dimittebant sepulcra: et animas a malicia ad summam virtutem agebat. quid utique quis dicat? preceptorum perfectam celestium legum virtutem. angelice urbanitatis bonam ordinationem.

Orig. (Io in omel.) Eius autem quod sequitur. **plenum gratie et veritatis.** duplex intellectus est. Potest enim de humanitate ac divinitate incarnati verbi accipi. Ita ut plenitudo gratie referatur ad humanitatem. secundum quam christus caput est ecclesie et primogenitus creature universe. quoniam maximum et principale gratie exemplum qua nullis precedentibus meritis. homo efficitur deus. in ipso primordialiter manifestatum est. Potest et plenitudo gratie christi de spiritu sancto intelligi. cuius septiformis operatio humanitatem christi implevit. plenitudo vero veritatis ad divinitatem refertur. Si vero plenitudinem gratie et veritatis de novo testamento mavis intelligere: non incongrue pronuntiabis plenitudinem gratie novi testamenti esse per christum donatam. et legalium simbolorum veritatem in ipso esse impletam. Theophilus. Vel plenum gratia. prout eius verbum gratiosum erat. dicente david. Diffusa est gratia in labiis tuis. Et veritate. secundum quod moyses et prophete loquebantur aut operabantur in figura. christus autem cum veritate.

Iohannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens. Hic erat quem

Dixerat Alcuinus. superius fuisse missum hominem ad perhibendum testimonium: hic determinat testimonium suum. quod manifeste pariter pronuntiat. Unde dicit. **Iohannes testimonium perhibet de ipso.** Crisostomus. Vel aliter. hoc inducit: ac si dicat. Non estimetis quod nos qui fuimus